mos, aut in haeresim lapsos, in salútis trámitem addúxit. Praesértim Christi enarránda Passióne, mirífica ejus oratiónis viserat, qua una cum adstántibus in fletum effúsus quaelibet obduráta corda ad poeniténtiam scindébat.

R. Amávit eum.

Lectio vj.

TANTA in ejus péctore alebátur divínae charitátis flamma, ut indúsium quod erat cordi própius, saepe véluti igne adústum, et binae cóstulae elátae apparúerint. Sacrum praesértim fáciens non póterat a lácrymis temperáre: frequénti quoque éxtasi, cum mira intérdum córporis elevatióne, frui, vultúque supérna luce radiánte conspiciebátur. Quandóque, dum concionarétur, coeléstis vox verba ei suggeréntis audíta fuit, aut sermo ejus ad plura míllia pássuum intónuit. Prophetíae et linguárum dono córdium scrutatióne, potestáte in daemones, in morbos, in eleménta enítuit. Cumque ipsis Summis Pontifícibus carus ac venerándus esset, servum inútilem, peccatórem nequíssimum, a daemóniis quoque conculcándum se judicábat. Tandem, aspérrimi vitae géneris ad longam usque senectútem tenacíssimus, anno millésimo septingentésimo septuagésimo quinto, cum praeclára mónita, véluti sui spíritus transmíssa haereditáte, alúmnis tradidísset, Ecclésiae sacraméntis, ac coelésti visióne recreátus, Romae, qua praedíxerat die migrávit in coelum. Eum Pius Nonus Póntifex Máximus in Beatórum, novísque deínde fulgéntem signis in Sanctórum númerum rétulit.

R. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia in Evang., Designávit Dóminus, ***ut in Comm. Evangelistarum.***

Lectio ix. S. Vitalis Mart.